# IRIMBERTUS ADMONTENSIS

Admont, um 1175 

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ad Raab dicens. Educ viros qui venerunt ad te, et ingressi sunt domum tuam. Exploratores quippe sunt, et omnem terram considerare venerunt.

IOSVE. Duos viros exploratores abscondite mittit, cum Christus duos evangelii praedicatores in gentium latitudinem latenter transmittit. Quos de Sethim mittit, quod spinam sonat, quia eos de Iudea perfidie aculeis exasperata, ubi sui praecones destinat. Qui idcirco exploratores vocantur, quia de illorum numero esse computantur, quibus in Egypto Ioseph loquitur: Exploratores estis, ut videatis infirmiora terrae venistis. Duo nempe isti exploratores, duo sunt illi gentium praedicatores, de quibus Spiritus sanctus discipulis loquitur in apostolorum actibus: Separate mihi Paulum et Barnaban in opus ad quod assumpsi eos. Quorum in typo Eldath et Medath, requiescente super eos spiritu in castris olim prophetabant, qui et ipsi inter septuaginta descripti fuerant, sed ad tabernaculum non exierant. Eldath enim, quod interpretatione sua ad solum vel ad unum sonat, Barnaban designat, quem de multorum non esse numero actuum apostolorum hystoria demonstrat, dum eius perfectionem brevi sermone commemorat. Miserunt inquit apostoli Barnaban usque Antiochiam, qui erat vir bonus, plenus spiritu sancto et fide. Medath mensus est interpretatur, per quem recte Paulus figuratur, qui omnibus hominibus omnibus ordinibus mensuram fidei et sanae doctrinae metitur. Hii ergo duo viri virtutis ex inspirato in castris prophetant, dum per gratiam spiritus sancti deserta gentium sua praedicatione fecundant. Qui quidem inter septuaginta descripti fuerant, sed ad tabernaculum non exierant, quia inter discipulos quidem Christi divinitus praedestinati fuerant, sed ipsi in carne praesenti per obedientiam fidei colla submittere neglexerant. Hic ergo eis apostolorum suorum collegio associatis: Ite per collatam vobis spiritus sancti gratiam et excidate terram sanguinis mei infusione fecundatam, urbemque Iericho quae luna interpretatur, quia gentium instabilitas figuratur.

Illi pergunt, quia missi a spiritu sancto in latitudinem gentium pertranseunt. Ingrediuntur domum mulieris meretricis, ecclesiae vocatae de gentibus, quae multigenis fuerat prostituta symulachris. Mulier haec Raab vocatur, quae [illegible] famelica sive dilatata interpretatur, quia ecclesia de gentibus fame divini verbi desiderabiliter cruciatur, ac per hoc in amore creatoris sui sinus cordis eius laudabiliter dilatatur. De qua latitudine psalmista loquitur: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Quiescunt ergo apud eam, fidei eius devotione reficientes esuriem et sitim suam. Quorum adventus regi Iericho nuntiatur, quia antiquus hostis qui in gentium populo ab antiquo dominatur, bellum sibi ab ipsis indici non dubie suspicatur. Dicitur ei a suis esse secretalibus vel nequitiis spiritalibus vel ydolatriae cultoribus: Ecce viri nobis incogniti et contrarii huc sunt ingressi intra consepta tui atrii. Per noctem quae celebris per omnem veteris testamenti seriem magnam nobis movet suspicionem. Forsitan nox ista est illa in cuius medio caesa referuntur Egyptiorum [illegible] primogenita, et liberata Hebreorum agmina. Huius ergo mysticae noctis declamant viri isti qui sunt de Israel filiis, ingressi non ad obsequium tui gratiam, sed ut explorent terram, quam dicunt Christi sui sanguine esse comparatam. Terretur nuntiis talibus tyrannus Iericontinus, suaeque civitatis accelerat provenire casus. Ad Raab mittit, quam utpote meretricem domesticam suam esse confidit. Educ inquit viros qui ad te venerunt, trade illos qui contra me coniuraverunt. Qui ingressi sunt domum tuam scrutantes conscientiam tuam, et uberum suorum spiculis vulnerantes mentem tuam. Exploratores quippe sunt, qui regni mei statum subvertere quaerunt, omnem terram considerare venerunt, quia de tota gentilitate me excludere proposuerunt. Sequitur.

TOLLENSQUE mulier viros abscondit et ait: Fateor venerunt ad me, sed nesciebam unde essent. Cumque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter egressi, nescio quo abierunt. Persequimini cito, et comprehende